

- consulere, ut evacuet coleram quam habet, si forte futura constellacio
 80 habeat dominium super coleram, sicut Mars, et eodem modo de melan-
 colia, sicut Saturnus. Bene ergo dicit: *augmentamus bona et mala des-*
cidimus etc. Item hoc patet secundum Yparcum¹⁰⁾ in libro de more^{m)}
nature, ubi sic dicit ad litteram: O quanta est nobilitas anime nostre,
cum noscat occultas celestium actiones. Item Astafon in libro de mine-
 85 *ralibus constellatis dicit: O anima, nobilis te circumdat felicitas perpetua*
virtutem celeste a celestia specularando. Item Messela in libro de virtute
motoria dicit: Ineffabile donum est anime, cum disponitur celestia tueri.
Speculari enim celestia est ipsorum actiones agnoscere, quod est nobi-
lissimum et maxime appetibile a nobis, quia hoc est gloria nostre mentis.
 90 Nam appetendo veritatem celestium induimus habitum angelicum previ-
 dendo futura; hec Messela, unde subiungit: *Hec*¹¹⁾ *est sciencia, que*
humanum facit esse divinum et per quam homo previsor existit, ut angeli,
futurorum. Multe consimiles auctoritates adduci possent diversorum sa-
 piencium, sed sufficiant iste.
- 95 Quantum ad secundum, scilicet questio ad modalitatem vel modum
 proficiendi per astronomiam, dicit Ptholomeus in eodem verboⁿ⁾ princi-
 pali, quod iste sit modus, quod *astrologus optimus pronunciet* et homini
futurum malum, ut illud pati possit; quasi diceret, predicet sibi quod
 futurum est, ut per medicinam vel consimilem modum subveniat sibi
 100 ibi et impediatur actionem^{o)} constellacionis^{p)} future. Unde dicit in
 eodem, quod vir sapiens se habeat ad virtutes astrorum sicut prudens
 agricola se habet ad virtutes agrorum; iuxta quod sciendum, quod si
 ager fuerit habundans aqua, prudens agricola deducit illam per sulcacio-
 nem, ne blada suffocentur, et si sit nimis aridus, rigat illum per aquam
 105 fontalem. Et hoc vult *Hermes*¹²⁾ in primo de speculis et de luce, ubi sic
 dicit: *Oportet medicum de necessitate scire ac considerare naturas stella-*
rum et earum operationes ad hoc, ut diversarum egritudinum et dierum
creticorum habeat noticionem, quoniam alternabilis est enim natura
secundum aspectus et coniunctiones corporum superiorum. Item Ypo-
 110 cras¹³⁾ in libro De vinculo spiritus capitulo secundo dicit: *Medicus sine*

m) vigore in der Vorlage
 n) verb. aus libro

o) eingefügt Hs.
 p) actionis gestr.

¹⁰⁾ Das Folgende bis Z. 91: Cecco d'Ascoli, Kommentar zu Alcabitus, gedr. G. Boffitto, La Bibliofilia 5 (1904) S. 336.

¹¹⁾ Quelle: wie Anm. 3 und 10.

¹²⁾ Das Folgende bis Z. 117: wie Anm. 3.

¹³⁾ Vgl. hierzu die pseudo-hippokratischen Traktate „Astronomia Ypocratis“ und „De medicorum astrologia“: L. Thorndike, The three latin trans-